B. N. C
FIRENZE
1227
14

Digitized by Google

1227 14

Digitized by Google

AI

DISSERTATIO

AN VIATICA COMMUNIO

Privatè Infirmis adminiſtrari valeat

Breviter diſpoſita, & ordinata

AB ANONYMO

ORDINIS PRÆDICATORUM

Non tam Parochis, quam ad augendam devotionem erga Sanctiſſimam Euchariſtiam, perutilis

Jam Romæ ex commiſſione SS. DD. Noſtri

BENEDICTI XIII.

In lucem edita.

ROMÆ, & FLORENTIÆ. 1726.

Typis Regiæ Celſitudinis. *Super. permiſſu.*

1872

1227 . 1

An Viatica Communio privatè Infirmis adminiſtrari valeat.

DISSERTATIO.

CUM orta ſit quæſtio inter quoſdam prudentes Viros, an licitum ſit accedere ad Infirmos cum Viatica Communione privata, omiſſa publica parochiali ſolemnitate, adeo ut ad inſtantiam Infirmi, ſeù illius Domeſticorum Parochus talem privatam Communionem permittere valeat; de mea ſententia requiſitus, re benè perpenſa, quid Juris in hac quæſtione ſer-

vandum mihi videtur, pro veritate proferre breviter ſtatui. Et parti negativæ adhærens, id fieri non poſſe abſolutè teneo ratione duplici ductus, altera ſcilicet ex defectu poteſtatis, altera vero, ſecluſa etiam prohibitione, ex inconvenientia, & incongruitate reſultante

Et quoad primum, ſupponendum eſt tàm Laicos, quàm eorum Parochos, & Prælatos tamquam S. Romanæ Eccleſiæ fideles ſubditos teneri ſub gravi peccato obedire illius Decretis, & Mandatis tam quoad mores, quam quoad ſacrorum ritus, & præcipue Sacramentorum adminiſtrationem, quibus nil majus, aut ſanctius habet Eccleſia. Unde Paulus V. Pontifex maximus conſtituto publico Eccleſiaſtico Rituali ad Prælatorum, & Parochorum omnium Inſtructionem circa ſacrarum functionum, & ſignanter Sacramentorum adminiſtrationem in Bulla die 17. Junii 1614. in Capite dicti Ritualis appoſitam, omnium in eo contentorum omnimodam obſervantiam omnibus Eccleſiæ Miniſtris commendat, & hortatur ibi. *Quapropter hortamur in Domino &c. Venerabiles Fratres &c. Vicarios, Parochos Univerſos, ubiq;*

loco-

locorum exiſtentes, & alios ad quos ſpectat, ut in poſterum tamquam Romanæ Eccleſiæ filii ejuſdem Eccleſię omnium Matris, & Magiſtræ auctoritate conſtituto Rituali in ſacris functionibus utantur, & in re tanti momenti, quæ Catholica Eccleſia &c. inviolatè obſervent.

In dicto vero Rituali [1] firmatis Perſonis, & tempore communicandi pro Viatico *Verſ. Deferri*, jubet ſolemniter præſtandam eſſe talem Communionem, ibi: *Deferri autem debet hoc Sacramentum ab Eccleſia ad privatas ægrotorum Domos decenti habitu &c. Manifeſtè, atque honorifice &c.* in quibus, licet claris, conſiderandum eſt verbum *Debet*, quod denotat præceptum, & neceſſitatem per *Cerr.* [2] & in terminis Bullæ Pontificiæ dixit *Coccino* [3].

Ad differentiam Verbi *Poſſit*, quod denotat arbitrium, & poteſtatem aliter faciendi *Rota* [4] & alii plurimi; & Verbum

A 3 *Ma-*

[1] *Pag. 68. de Sacrament. Euchar. de Com. Infirm.* [2] *dec. 783. nu.* 11. [3] *dec.* 179. *n.* 1. *cum relat.* [4] *dec.* 279. *n* 12. *par.* 17. *Merlin. dec.* 392. *n.* 15. *Coccin. dec.* 1504. *num.* 73.

Digitized by Google

Manifeſtè denotans publicitatem ad excluſionem occulti, & privati, ut videre eſt *apud Calepinum, & Calvinum in ſuo Lexicon ſub V. Manifeſtum*, & alibi; Et adeo verum eſt, teneri Parochos vigore dicti Decreti publicè, & non occultè & privatè functionem Sanctiſſimi Viatici celebrare, ut Inn. XII. dubitans ſupradictam diſpoſitionem defraudari aliquando ex negligentia Parochorum, aliquando fraude ipſorum Infirmorum ita agendo, ut quantumvis poſſit, minus ſolemniter celebretur: vel potius in ipſa publicitate occultetur, expreſsè prohibuit has Communiones occultè fieri, & magna cum ſolemnitate celebrari mandavit, ut videre eſt in Liberculo ex Mandato ipſius Pontificis impreſſo, & inſcripto *Regole, e Inſtruzioni, che ſi devono oſſervare nell'accompagnamento del SS. Viatico* [1] ibi: *Quando l'infermità dà competente ſpazio di tempo a radunare il concorſo &c. Comandiamo, che ſi faccia tutto il poſſibile, dichiarando con ciò per deteſtabile quell'abuſo di alcuni infermi, o forſe de' loro Congiunti, che a bella poſta procurano di fare andare il SS. Viatico nelle loro Caſe a ore ſtraordinarie, affinchè non vi*

[1] *Sub n. 64 pag. 52.*

vi ſia molto accompagnamento, e ſia quaſi una Comunione privata. E perchè in tal maniera ſi ſminuiſce l'oſſequio del Sagramento, ordiniamo a tutti i Parochi eſpreſſamente (notentur verba *Comandiamo, e ordiniamo* præceptum poſitivum denotãtia) *che ſotto pena ad Arbitrium non facciano mai queſte Comunioni private, anche a richieſta di chi che ſia. Ma che quando ſi può &c. comandando ciò in termini eſpreſſi il Rituale Romano con queſte parole: Deferri debet.*

Quibus etiam, licet prò reſolutione noſtræ quæſtionis exuberent, addi poſſunt ultrà univerſalem conſuetudinem ubique locorum obſervatam, quàm publicè; & quàm ſolemnitèr deferendi Sanctiſſimum Sacramentum ad Infirmos, plures Canones, ac plura Pontificum Decreta, & Conciliorum ordinationes, per quæ talis publicitas demandatur, & contraria privata delatio prohibetur.

Et primò [1] jubet Honorius tertius Parochos deferre ad Infirmos Euchariſtiam manifeſtè, & honorificè, & jubet Prælatis punire tranſgreſſores, ibi: *Idem faciens cum*

[1] *C. Sane cum olim de celebratione Miſſæ & Sanctæ Euchariſtiæ.*

eum eamdem, idest Hostiam Salutarem, defert Presbyter ad Infirmum, *quàm in decenti habitu ferat, & referat manifeſtè, & honorificè. Prælati autem hujuſmodi mandati graviter punire non differunt tranſgreſſores, ſi & ipſi Divinam, & noſtram volunt effugere ultionem.*

Immo talis prohibitio adeo lata eſt, ut non tantum locum habeat reſpectu privatarum perſonarum, ſed etiam reſpectu omnium quacumque dignitate, vel ſacra, vel ſeculari fulgentium. *Clemens enim Octavus in Cærimoniali Epiſcoporum* expreſse jubet, ad Epiſcopos Infirmos deferri debere Viaticum cum magna nobilitate, & publicitate his verbis. *Epiſcopus ægrotans majori qua poteſt devotione, & humilitate ſacrum ſumat Viaticum, quod illi deferat prima dignitas comitante Capitulo, & toto Clero Cathedralis Eccleſiæ, in habitu Eccleſiaſtico, & ſi fieri poteſt, Magiſtratus deferat Baldacchinum*[1]. Ex quibus ſatis clare deducitur, deferri debere Viaticum ab Eccleſia ad Domum, dum alioquin Capituli aſſociatio, & Baldacchini delatio locum habere non poſſet; Et Marcellus Archiepiſcopus Corci-

[1] *lib. 2. cap. 32.*

cinenſis in ſuo Cæremoniali Leoni X. dicato [1] edito Romæ Anno 1560. ita diſponit de Viatico Cardinali ægrotanti præſtando. *Qui ægrotanti Cardinali aſſiſtunt, caveant diligenter, ut in tempore Eccleſiaſtica Sacramenta, non clam, ſed publicè adminiſtrentur;* Immò & ipſa ſacra Congregatio quoad Viaticum ad Infirmos deferendum conſulta reſpondit ſæpè, clam fieri non poſſe, teſte *Proſpero Fagnan.* [2] ibi: *Cum Cardinalis Paleottus olim petiiſſet, an poſſet concedere licentiam Domi celebrandi, cum Infirmus deberet prò Viatico communicari, ſacra Congregatio reſpondit, non poſſe.* Quod quidem voluit obſervari non tantum deficiente Cauſa rationabili tranſgreſſionis, verum etiam ipſa concurrente, & non levi, ſed gravi, procedente nempe à longitudine itineris, & à gravi incommodo Sacramentum deferendi, ut teſtatur ipſe Fagnanus loco citato, ibi: *Cum Cardinalis legatus Portugalliæ petiiſſet, ut poſſet concedere licentiam celebrandi Miſſam in Domo privatà, ubi infirmus aliquis debet pro Viatico commu-*

A 5

[1] *in tract. de Sacr. Cærimon. lib.* 1. *tit.* 15.
[2] *in* 2. *p l.* 5. *Decr. de Priv. C. in his n.* 13.

municari, & hoc, quia in illis regionibus ſunt multa loca adeo diſperſa, & remota à Parochis, ut non ſine maximo incommodo poſſet Euchariſtiæ Sacramentum circumferri; ſacra Congregatio reſpondit, non eſſe concedendum.

Quæ abſoluta prohibitio ſecreto deferendi Viaticum ad Infirmos ex præcepto S. M. Innoc. XI. ſub die 2. Februar. 1679. fuit confirmata à Sacra Congregatione Concilii hiſce verbis claris, & generalibus. Sanctiſſimam Euchariſtiam nullo modo deferendam ſecretò, ſed publicè, & cum pompa. In cujus Decreti executionem Eminentiſſimus Cardinalis Barbaricus in ſua Synodo celebrata in Monte Faliſco de Anno 1692. Parochos ſuæ Diœceſis admonuit hiſce generalibus Verbis. *Nemo ad Infirmos Diviniſſimum hoc Sacramentum abſque ſolemnitate, & abſconditum deferat, cum jam id à Sacra Congregatione Concilii ſub felic. record. Innocent. XI. prohibitum ſit.*

Probato igitur ex ſupradictis defectu poteſtatis in Parochis deferendi ad Infirmos Sanctiſſimum Viaticum ſecretò, & inter privatos parietes, reſtat oſtendere præjudicia, & inconvenientia, quæ

ſeclu-

ſecluſa etiam prohibitione, procul dubio incongruum, & deteſtabile, talem clandeſtinam delationem permittere, oſtendunt.

Nam in primis conſiderandum eſt, Inſtitutiones Eccleſiaſticas eſſe communes, & omnes Chriſtifideles æqualiter obligare, cum omnes ſint membra ejuſdem Corporis ſpiritualis, & ſub uno, eodemque Capite Chriſto, dicente Apoſtolo [1] *ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, unum Corpus, & unus ſpiritus, ſicuti vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ, unus Dominus, una fides, unum Baptiſmà, unus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſupra omnes, & per omnia, & in omnibus nobis*. Unde cum Eccleſia, fidelis interpres Divinæ voluntatis, ultimam Communionem pro Viatico publicè, & cum ſolemnitate fieri mandaverit, ſine ulla perſonarum exceptione, incongruum, & erroneum eſſet, pro nobilibus illius ſanctioni derogare, maxime ad arbitrium ſolius Parochi, qui tamquam Miniſter Eccleſiæ, hujus ordinationes tueri, & conſervare ex proprio munere tenetur; Attento præcipuè, quod data

 hac

(*a*) *ad Epheſ. cap.* 4.

hac permiſſione, paulatim hæc ſacra ſolemnitas, invaleſcente inter potentes æmulatione, omnino tolleretur, vel ſaltem cum plebeis, & vulgaribus Infirmis tantum obſervaretur: quod omnino evitandum eſt, ne id, quod ab Eccleſia ſapienter in honorem Dei, & in Salutem Animarum ſtatutum eſt, in dedecus, & in pudorem à variis hominibus accipiatur, ut jam videre eſt in Magnis Baptiſmatis, Matrimonii, & Confirmationis Sacramentis, quorum pudere videntur Nobiles, & Magnates, dum ut ab aliis inferioribus diſtinguantur, tam excelſa Sacramenta in privata Domo recipere ſœpè ſœpius præſumant.

Sed quidquid ſit de prædictis, certum eſt Eccleſiam in hac publicitate, & ſolemnitate inſtituenda plures conſideraſſe rationes: Proteſtationem nempè Fidei in Infirmo, qui moriens prævia publica receptione Sacramentorum publicè Catholicus, & fidelis Eccleſiæ filius reputetur; & hinc eſt quod Philippus IV. Hiſpaniarum Rex ad mortem ægrotans, & requiſitus an privatè vellet prò Viatico Sanctiſſimam Euchàriſtiam recipere, ſine pudore, ac fortis in Fide reſpondit, ſe

velle

velle publicè communicari, ut omnibus notum eſſet, ſe, ſicut vixit, Catholicè moriturum. Et de Ludovico XIII. Galliæ Rege ſcriptum reperitur, quod cum tam repentino morbo correptus eſſet, ut ſollicitè communicari debuiſſet, neſciens, an privatè; vel publicè hoc factum fuiſſet, cum ab Aulicis de hoc requiſitis audiviſſet, Sacramentum ab Eccleſia ad Aulam publicè, & ſolemniter delatum fuiſſe, & ita fidem ſuam, ac Dei honorem omnibus clarificatum, tantum gaudii concepit, ut ſtatim fuerit priſtinæ valetudini reſtitutus. Ex quo ſequitur, quod deficiente hac publicitate Communionis, deficeret pariter hæc proteſtatio, & conſequenter clarum Religionis exemplum, & præcipuè Infirmo exiſtente de genere Nobilium, & Magnatum, qui tamquam altius expoſiti clarius in conſpectu populi teſtimonium Fidei præbere tenentur, & ita ſubditos, & inferiores docere, gloriam, & honorem incomparabilem, non dedecus, & pudorem nobis afferre Myſteria Fidei, & ſic in ipſorum publicitate gloriari debere, ſicut Evangelium non erubeſcentes in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti nos gloriari oportet.

Et

Et hoc maxime in caſu de quo agimus, ubi ſicuti Eccleſia tamquam dilecta ſponſa Chriſti, & fidelis mater Chriſtifidelium in omnibus Gloriam Dei, & ſalutem Animarum quærere, & promovere conſuevit, ita in hujus publicæ Viatici aſſociationis Inſtitutione voluit ad publicam tanti Sacramenti adorationem, & cultum Fideles excitare, & ideo tot Nobiles, & Sacros Ritus inſtituit, & Campanulam præire Proceſſionem imperavit, ut nempe fideles omnes tam Domi quàm in via exiſtentes, vel cum luminibus, vel cum Oratione Deo ſervientes ipſum glorificent, & Infirmis in extrema tum ſpirituali, tum temporali neceſſitate conſtitutis precibus auxilientur, ut teſtatur D. Carolus Borromeus [1] ibi: *Omnem Comitatum aliquis præcedat, ut qui intra ædes fuerint SS. Sacramentum genibus adorent, & pro Infirmo deprecentur. & habetur etiam in dicto Romano Rituali* [2]. Et hinc eſt, quod Summi Pontifices tot Indulgentias largiti ſunt iis fidelibus, qui devotè in hac functione Divinum Sacramentum glo-

[1] *in Act. Med. Eccl. p.* 4. *tit. Inſtr. unic. pag.* 704. [2] *pag.* 67. *verſ. Parochi igitur.*

glorificaverint, ultra eas, quas Fratribus ſocietatum Sanctiſſimi Sacramenti ad hoc inſtitutarum perpetuè conceſſerunt. Unde nulli dubium eſt, talem publicitatem quàm maxime glorioſam Deo eſſe, & fidelibus tùm Infirmis, tùm aſſociantibus perutilem, eo quod eodem tempore plures actus Caritatis, Contritionis, & Fidei à pluribus exerceantur, ac plures culparum reatus circumſtantibus remittantur; pluraque auxilia ſpiritualia per aſſociantium preces Infirmis afferantur, & ideo omnino eſſe promovendam, & conſervandam, & viceverſa tamquam incongruam, & pernicioſam privatæ Communionis permiſſionem damnandam, ac prorſus prohibendum tam deteſtabilem abuſum Parochorum, qui ad eam concedendam inducuntur, dum per hanc Sanctiſſima Eccleſiæ intentio irritatur, Cultus tanti Sacramenti deſtruitur, Gloria, & honor Deo denegatur, Infirmi precum auxilio privantur, Populus ab optimo opere removetur, Indulgentiarum theſauri, divinæque fontes miſericordiæ clauduntur, ac denique totus Chriſtianorum conſeſſus participatione hujus boni publici defraudatur.

Ex

Ex his omnibus, ut quidem ſentio, manifeſtè colligitur; reum fore peccati mortalis Parochum, qui non urgente aliqua neceſſitate, ſine debita ſolemnitate, clanculum, & non publicè, ut moris eſt Sacroſanctum Viaticum Infirmo cujuſvis conditionis, ordinis, ſtatus, aùt dignitatis adminiſtraret. Ut enim egregiè admonet Potho Prumienſis. (1) *Ad regendam Domus Dei diſciplinam in omni Religionis propoſito, in omni ordine, ac dignitate, Canonum obſervantiam eſſe neceſſariam, Apoſtolicæ Sedis authoritas affirmat, quæ omnibus filiis Eccleſiæ, illam, quam Sacris Canonibus exhibere debet, indicit obſervantiam*. Cum ergo Concilium Tridentinum [2] Anathemate damnet: *Si quis dixerit receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut comtemni, aut ſine peccato à Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe*. Hanc certe Regulam, credendum eſt, Sacroſanctam Synodum ſervari voluiſſe, & habere locum non ſolum quando Sacramen-

(1) *l.3. de ſtatus Domus Dei.* (2) *ſeſſ.7. Ca.xiii.*

menta pauperibus, vel inferioris conditionis hominibus adminiſtrantur, ſed etiam cum Nobilibus conferuntur; neminem enim excipit, ſed generaliter definit. *Receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus &c. ſine peccato à Miniſtris prò libito omitti non poſſe*. Audeat ne aliquis inficiari, Rituum publicè, & honorificè deferendi ad Domum Infirmi Sacratiſſimum Chriſti Corpus, cum illi pro Viatico adminiſtrandum eſt, eſſe unum ex receptis, & approbatis ab Eccleſia? Qua ergo ratione defendi poterit, *ſine peccato à Miniſtris prò libito omitti poſſe?*

Ejuſmodi ſacrorum Rituum omiſſionem ex genere ſuo peccatum eſſe mortale, ſatis mihi laudata Trid. Synodi verba indicare videntur. Tria enim uno, ut ita dicam, eodemque tenore laudato Canone comprehenduntur; receptorum, & approbatorum Rituum in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione contemptus; eorumdem pro libito Miniſtrorum omiſſio; denique in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutatio; atqui Sacrorum Ritus contemptus eorumdem in alios mutatio ex genere ſuo

pec-

peccata mortalia ſunt, ergo & eorumdem prò libito Miniſtrorum omiſſio, niſi vel parvitas materiæ, vel urgens neceſſitas excuſet; quarum neutra in præſenti caſu occurrit. Non levitas Materiæ: leve enim exiſtimandum non eſt, quod ad Auguſtiſſimi Sacramenti decorem, ad Fidelium ædificationem, ad fidei proteſtationem, ad hæreſum expugnationem Sacroſancta, & univerſalis Eccleſia S. Spiritu illuſtrata inſtituit, & totius Mundi conſenſus, & præcipuorum Principum devotio, & obedientia amplexa eſt. *Inlibatos ergo*, ut verbis utar S. Agobari Lugdunenſis Ep. (1) *Conſervari oportet Sacros Canones*, fas mihi ſit ſubſtituere, Sacros Ritus, *qui firmati ſunt Spiritu Dei, conſenſu totius Mundi, obedientia Principum, conſonantia ſcripturarum..... Neque enim ſenſum eſt unquam à quibuſdam Fidelibus, ut talia ſtatuta abſque periculo Religionis violarentur. In præjudicium autem Religionis*, ſubdit Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus Ep. ad Alexandrum III. Romanum Pontificem. *Nihil agendum eſt, cui quidquid adverſatur, Divinæ conſtat contrarium eſſe voluntati.*

[1] *in lib. de diſp. n.* 4.

tati. Porrò nemo negaverit in præjudicium cedere Religionis, & Fidei, ſi Ritus ab Eccleſia Catholica inſtituti, & Sedis Apoſtolicæ auctoritate commendati, & confirmati in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione, prò libito Miniſtrorum abſque ulla neceſſitate, aut rationabili cauſa omittantur.

Nullam verò ejuſmodi neceſſitatem, nullam ejuſmodi adeſſe rationabilem cauſam, ut Ritus ab Eccleſia inſtituti omittantur, quando Sacramenta Nobilibus miniſtrantur, evidentius mihi videtur, quam ut aliqua ratione, vel auctoritate debeat confirmari. Quid enim? Indecorum ne eſt divitum dignitati, Chriſtum Dominum ad eorum Domos accedere, ut id facere debeat clanculum, & in abſcondito? Quidpiam nè eorum excellentiæ, honorique detrhahitur, ſi Chriſtus palam eis periclitantibus ſubvenerit? Si notatur in Evangelio Nicodemus, quod nocte ad Jeſum venerit; qua digni erunt reprehenſione nobiles, ſi nocte, in tenebris, & in occulto Chriſtum voluerint ad ſe venire: cum ille aliquam obtendere potuerit occulti ad Jeſum acceſſus excuſationem, metum videlicet

Judæo-

Judeorum; iſti nullam obtendere poſſint occulti Chriſti Domini acceſſus ad eos? timeant ergo, ne juxta Domini ſententiam, ſi eum erubuerint coram hominibus, & ipſe eos erubeſcat coram Angelis ſuis.

Quod ſi indecorus non eſt Nobilibus publicus & honorificus Salvatoris ad eorum Domos acceſſus, quid ergo? Invident ne Redemptori ſuo, & amantiſſimo hoſpiti hunc honorem, ut eo defraudari velint; vel potius ſacras ejuſmodi Cæremonias parvi pendendas exiſtimant, & ſolum erga Pauperes, & abjectum vulgum, ſive cum ejuſmodi infimæ ſortis hominibus Sacramenta ſolemniter adminiſtrantur, uſurpandas? Id enim potius ſuſpicari licet, quam ut Salvatorem debito velint honore fraudari. Quod ſi honorifica Sacratiſſimæ Hoſtię ad Infirmorum Domos delatio tamquam ritus nullius fermè momenti, aut levis Cęremonia, a cujus obſervantia Nobiles diſpenſari debeant, parvi penditur; parum aberit, ut contra ſacroſanctos Tridentinæ Synodi Canones aſſeratur. *Non licere, ut illa ad Infirmos honorificè deferatur*. Ut enim ait Symachus Papa. (1) *Quando pa-* *ter-*

---

(1) *Ep. 2. ad Orient.*

ternarum regularum deſpiciuntur inventa, nec eorum, quæ bene inſtituta ſunt firmitas vindicatur, bujuſmodi impietates neceſſe eſt fidei ſupervenire; nam ubi facilis eſt diſſolutio rationabilis inſtituti, ibi omnis ſanctitatis forma corrumpitur, Chriſtus impetitur, inſtituta Patrum reverenda calcantur. Hæreticos ſaltem, qui ſacros Ritus deſpiciunt, in ſuis neceſſe eſt erroribus confirmari, dum eos vident, tamquam ſuperfluos, & nullius pretii abiici (ſic enim ab eis contemni videntur, qui nulla urgente, aut rationabili cauſa volunt omitti) dum nobilibus, aut in dignitate conſtitutis hominibus diſpenſantur. Unde non ſolum aſſero, nullam eſſe cauſam, primarios Viros à ſacrorum Rituum obſervantia diſpenſandi: quin potius adeſſe, cur illi potiſſimum ad eos exactè ſervandos compellantur, ne videlicet Hæreticis detur occaſio eorumdem ſacrorum Rituum majeſtatem deſpiciendi.

Cum ergo & res graviſſima ſit, & nulla ſit cauſa, vel neceſſitas à communi Eccleſiæ uſu recedendi, non video, quomodo Parochus ſine peccato mortali poſſit ſecretò & in occulto Sacroſanctum Viaticum contra receptum, & approbatum

Ec-

Eccleſiæ morem adminiſtrare? In his enim ait Ang. Doctor *Communi conſuetudini aliquem contrariari, non parvæ præſumptionis eſt* (1).

Non video pariter quomodo Prælati Eccleſiarum adeo faciles ſe præbeant in ejuſmodi diſpenſationibus in favorem Nobilium concedendis, quia ut SS. Pontifices Leo, & Gelaſius ſtatuerunt. *Ubi neceſſitas non eſt, nullo modo Patrum ſtatuta violentur; ubi vero neceſſitas fuerit, ad utilitatem Eccleſiæ, qui præeſt, ea diſpenſet*. Quæ autem neceſſitas, quæ Eccleſiæ utilitas, ſi in hac parte Nobiles diſpenſentur ab his, quę patres, & Majores noſtri provide conſtituerunt? Sanè videmus, quo nunc Zelo ardeat SS. Pontifex Benedictus XIII., ut Patrum ſtatuta illibata ſerventur: & ſacri Eccleſiæ Ritus ad Sacrorum Canonum præſcriptum, & regulam exigantur. Ipſe non minus, quam deceſſor ejus Gelaſius Ep. ad Chriſtianos Dardaniæ. *Quod univerſalis Eccleſiæ probavit, aſſenſus, nullam magis ſedem* putat *exequi præ ceteris oportere, quam primam*. Ipſe non minus quam S. Leo *Ad ſuum* exiſtimat *tendere reatum, ſi pater-*

(1) *Opuſc*.22.*c*.1.

ternarum Regulæ ſanctionum, quæ ad totius Eccleſiæ Regimen ſpiritu Dei inſtruente, ſunt editæ, ipſo, quod abſit, non cohibente, violentur. Unde idem Sanctiſſimus Pater in Lateranenſi Concilio nuper celebrato audiente Roma celeberrima illa protulit verba olim à D. Thoma excogitata (1) *Præterire Ritus Eccleſiaſticos, Peſtiferum eſt*.

Quod ſi Romanus Pontifex, cui ſupremam, & univerſalem ligandi, atque ſolvendi Dominus contulit poteſtatem, nihil ſibi quodammodo vult licere contra receptos, & approbatos ab Eccleſia Catholica ritus, ſed eos exactiſſimè ſervare, & exequi ſtudet, quanto minus id ſibi licitum eſſe Prælati inferiores exiſtimare debent; quantoque majori ſtudio curare debent, ut Sacri Ritus, in adminiſtrandis præcipue Sacramentis, ad Sacrorum Canonum, & Eccleſiaſticarum legum præſcriptum exigantur. *Cum nobis*, inquit Gelaſius Papa, *contra ſalutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, & cum Sedes Apoſtolica ſuper his omnibus, favente Domino, quæ paternis Canonibus ſunt præfixa, pio, devotoque ſtudeat*

[1] 2. 2. *quæſt*. 93. *art*. 1. *ad* 2.

deat tenere propoſito, ſatis indignum eſt, quemquam Pontificum, vel Ordinum ſubſequentium hanc obſervantiam refutare, quam beatam Petri Sedem conſequi videat, & docere; ſatiſque conveniens, ut totum Corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſervatione concordet, quam illic vigere vides, ubi Dominus totius Eccleſiæ poſuit Principatum.

FINIS.

SS 863606

Digitized by Google

[illegible] DEL TRAFFICO s.r.l. [illegible]